DE HYDROPE OVARII.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

FRIDERICA GUILELMA

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE SIBI CONCILIANDIS

DIE XVIII. M. FEBRUARII A. MDCCCXXXVI.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENSURUS EST

AUCTOR

JACOBUS JASPERUS MAC CALDIN

HIBERNUS

COLLEGII CHIRURGORUM EDINENSIS SOCIUS.

OPPONENTIBUS:

CAR. SPONHOLZ, MED. ET CHIR. CAND.
J. GUILLEMARD, COLL. CHIR. LOND. SOC.
G. BALY, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

VERO ANIMI CULTU

D. D. D.

AUCTOR.

CAPUT I.

LITTERATURA.

Sydenham, Opera omnia. Caput de Hydrope. 1557. pag. 497.

Mead, monita atque praecepta. pag. 167.

Tulpius observat. Lib. 4. obs. 45.

Boneti in sepul. anat. lib. III. obs. 39.

Percival, med. essays. fol. 17. p. 126.

Van Swieten, Comment. in aphor. Boerhaavii. Tom. IV.

Thom Fowler, medical reports of the effects of Tobacco principally with regard to its diuretic quality in the cure of dropsies etc. Lond. 1785.

John Green, medic. Commentaries. Vol. IX. pag. 280.

John Hall, Lond. med. Journ. 1786. Vol. II. c. 187.

Robt. Willan, ib. pag. 189.

C. Camper, Histoire de la societé royale de médecine. Année 1784—5. Mémoire pag. 46.

Fothergill, med. observat. and. inquiries. Vol. IV. on the use of tapping early in dropsies. p. 149.

Warren, philosoph. Transact. pag. 472 etc.

Morgagni, epist. anat. 39—40. pag. 435.

Paisley, med. essays et observ. Part II. Vol. V. pg. 250.

Lieutaud, Hist. anat. med. Tom. I. pag. 322.

Benjamin Rush, med. inquiries and observat. Vol. II. Philadelphia 1793. c. 161.

M. Baillie, morbid. anat. of the most importants parts of the human body.

Dr. Pitt, recueil des actes de la societé de Lyon. Tom. I. pag. 406.

Cruveilhier, anat. pathol.

Ridley, observat. med.-pract. et physiolog. obs. 33.

Samson, philosoph. Transact. N. 140.

Blasius, commentarii de hydrope ovarii profluente.

CAPUT II.

DE NATURA HYDROPIS OVARII.

§. 1.

Morbus, qui promiscue dicitur hydrops ovarii, hujus organi est degeneratio, quae quum diversissimae naturae esse possit, injuste Hydropibus adnumeratur, quibuscum congruit tantum in eo, quod nequaquam semper accidit, ut vel majorem vel minorem liquoris accumulationem praebeat. Indoles hydropis ovarii conspicitur in immutatione textus normalis in novum textum, non aptum ad pristinam naturam assumendam, qui feminei organismi parasita possit dici, qui possidet propriam vitam, et qui vasis novis nutritus alimenta sibi arripit, crescereque potest in infinitum, quod materiae secretae sensim fiant organicae.

§. 2.

Structura ovarii anatomica, situs ejus segregatus in media pelvis cavitate, absentia connexus sympathici cum

ceteris corporis partibus, nutritio ejus propriis vasis effecta, involucrum fibrosum densissimumque patiantur, ut hoc organum sicut uterus aliaeque corporis partes, primariis propriisque morbis afficiatur vel prorsus degeneret, ceteris organis manentibus integris; atque cur reliqui corporis sanitas plerumque paulum tantum afficiatur ab ovarii immutationibus gravissimis declarant.

Ovarii textura spongiosa, vesiculis instructa, evolutio summa, quae in ipsius volumine et vasis imprimis venosis potest apparere, peculiaris ejus functio, ubi excitantur genitalia in coitu et foecundatione, communicatio cum quavis physiologica et pathologica systematis genitalis mutatione in graviditate et partu, vis denique magna, quam cessantibus mensibus aetas provecta praecipue in hoc organon videtur exercere: haec omnia efficiunt, ut ovarium morbis multis, immutationibus praesertim organicis obnoxium sit, probantque sententiam Sieboldii, Goergii, Carii et aliorum: nullum corporis humani organum tot morbis atque degenerationibus, quot ovarium, expositum esse. Mirum tamen est, sinistrum ovarium saepius morbis affectum et frequentius degeneratum inveniri, quam dextrum. Quod nequit declarari, nisi productioni vegetativae in latere sinistro omnino praevalenti attribuitur.

Medicum attentum, cui aliqua occasio data est, morbosas ovarii affectiones et in earum decursu et in cadaverum dissectionibus diligentius observandi, certe nullum fugerit, speciem istam morbi, nomine hydropis ovarii vulgo appellati, nequaquam semper in eadem hujus organi degeneratione positam esse; sed ovarii immutationes organicas nunc magis steatomatum, atheromatum, cystidum pu-

rulentarum indolem prae se ferre proptereaque nullo modo hydropis nomine posse vocari; nunc liquoris aquosi in vesiculis parenchymatis ovarii morbose amplis aut in ipso ovarii involucro seroso esse accumulationem et si tales sint, magis quam priores hydropi saccato affines esse.

Quapropter in dissertatione hac inaugurali nonnisi de degenerationibus posterioris generis scribam, prioresque in referendis mutationibus organicis, quas experiri potest ovarium, breviter tantum tangam.

Ut errores graves diagnoseos et curae evitemus, necessarium est, ut varietates multiplices, quae ab his degenerationibus, quod attinet ad texturam earum atque contentum, exhibentur, diligenter diagnoscamus et symptomata diagnostica constituamus. Degenerationes autem ovarii omnes, quae occurrunt, speciebus nunc describendis continentur.

§. 3.

Ovarium immutatum est in saccum unicum magnum, repletum limpido, aquoso-seroso liquore. Haec est species, quae ab auctoribus nomine hydropis ovarii saccati describitur. Liquor accumulatus est aut inter involucrum ovarii serosum, aut una vel paucae vesiculae Graafianae ipsae morbose evolutae et in vastam massam amplificatae sunt, ut reliqua ovarii pars e loco remota, resorpta, sive in minorem circuitum redacta adeoque crassis cartilaginosisque partibus mixta in aliquo peripheriae hujus sacci loco appareat. Superficies talis sacci interna semper constat ex membrana aequaliter formata, laevi, tenui, vasis

sanguiferis abundante, membranis serosis simili, saccique contentum est limpidum, serosum, atque quamvis non prorsus aquosum, magis minusve liquidum. Rarius constat haec moles ex nonnullis saccis, aggregatis, plerumque non communicantibus. Superficies hujus sacci hydropici externa cum vicinis partibus, fundo vesicae urinariae, peritonaeo, parietibus pelvis ipsisque intestinis concreta esse solet; nonnunquam autem saccus cum vicinis partibus nullis conjunctus libere in cavo abdominis positus, facile huc illuc moveri potest, efficitque aegrotae non raro sensum alieni corporis in abdomine sese circumvolventis. Hic hydrops ovarii saccatus prae ceteris ingentem magnitudinem nancisci posse videtur, facillimeque curam permittit palliativam ope paracentheseos. Non raro hydrops hujus generis totum abdomen occupavit incredibilique liquoris copia repletus fuit. Exempla maxime insignia, quae occurrunt apud auctores, haec sunt:

W. Gaitskell hydropem describit ovarii sinistri, qui octo annis in dimensionem sex pedum accreverat, ex quo per paracenthesin 180 librae aquae emissae sunt.

Ford commemorat insignem hydropem ovarii dextri, implentem totum abdomen, tantasque aegrotae gignentem molestias, ut paracenthesis necessario adhibenda esset; 144 librae aquae una operatione emissae sunt. Aqua denuo in ovario nascente, operatio saepius iterari debebat; quae quum quadragesies esset facta, 4179 librae aquae emissae sunt. Probata est hoc in exemplo observatio, quae saepissime in hydrope ovarii facta est, aquam eo citius gigni, quo diutius morbus perseveret, ita ut ultimis tribus mensibus operatio sexies fieret, et 508 librae

aquae emitterentur. Hanc aquae copiam si dividimus, quovis die quinque libras aquae collectas esse judicandum est. Praeter hanc ingentem aquae copiam, quae paracenthesi profundebatur, eadem aegrota femina incredibilem urinae copiam emittebat, quantitatem potus multo superantem. Experimentis propterea factis compertum est, hanc feminam octodecim diebus duodesexaginta libras liquoris bibisse, 108 ℔. urinam emisisse, ita ut quinquaginta libras liquoris a corpore hocce spatio ex aëre assumtas esse putandum sit.

Morand narrat, se feminae hydrope ovarii laboranti pluries quinquaginta libras aquae detraxisse, eamque tam parvas molestias ex operatione sensisse, ut plerumque sequenti die rursus in pagum reverteretur.

Hunter feminae octoginta paracenthesibus, quibus 9941 ℔. aquae emissae sunt, viginti quinque annos vitam conservavit.

R. G. Gastellier narrat de hydrope ovarii dextri, in quo denis diebus operatio erat necessario adhibenda.

§. 4.

Subspecies hydropis ovarii saccati ea forma habenda est, ubi sacci magni superficies interna non laevis, neque membrana serosa, qualis erat in priori specie, obducta est, sed multas inaequales, verrucosas eminentias variae magnitudinis et consistentiae continet, quae septorum instar imperfectorum superficiei adspectum reticulatum efficiunt, quamvis veras cellulas non forment. Contentum hujus subspeciei hydropis ovarii saccati non aquosum

neque serosum est, sed densius, tenacius, albuminosum sive gelatinosum, ut paracenthesi facile amoveri nequeat.

§. 5.

Tertia omnino rarior et ab utraque commemorata specie hydropis ovarii diversa est ea, ubi ovarium degeneratum ex unico sacco majori, in cavo suo magnam hydatidum verarum copiam continente constat. Quae quidem hydatides nec cum sacco eas cingente, nec inter se ullo modo sunt conjunctae, sed juxta se positae plane liberae in velamento suo continentur. Hydatides istae sunt sicuti illae, quae in aliis corporis humani partibus, in cavis majoribus, visceribus variis, cerebro, pulmonibus, vesica urinaria, utero et aliis interdum obviam veniunt, vesicae aquosae rotundae vel ovatae, variae magnitudinis, liquore seroso-lymphatico impletae; interdum alias minores hydatides continent, et haud dubie vermibus sunt adnumerandae, cum recentes, aquae tepidae impositae, signa vitae animalis certa, sensum nempe motumque edant.

§. 6.

Hydropis ovarii species, quae saepissime occurrit, est ea, in qua liquor multis cellulis sive loculis continetur, qui nunc completis septulis segregantur. Cui speciei justo nomen est datum hydropis ovarii cellulosi. Veritati proxime accedere videmur, si sumimus, hunc hydropem in ipso ovarii textu nasci morbosa formatione, qua numerus in corpore sano sit multo minor copia cystidum, quae in hydrope ovarii celluloso saepe inveniantur, et

deinde, quod similes cystides non raro in aliis quoque corporis partibus occurrant, ubi ex illis vesiculis natae esse non possint; tamen fieri non posse nequaquam probatur, vesiculas Graafianas, ubi vis ovarii vegetativa aucta sit, non tam morbosa quam normali ratione majoreque copia, quam quae esse soleat, posse nasci; huc accedit, quod cystides, quae in aliis corporis partibus inveniuntur, quod attinet structuram, contentum, immutationesque, quas experiuntur, revera maxime discrepant a cystidibus hydropis ovarii cellulosi. In ovario enim cystides continuas non invenimus, sed se invicem includentes sive membranis tenuibus septisque saepe incompletis segregatas vesiculas, quae in medio ovario degenerato et diversissimo contento repletae sunt.

Ad quam opinionem sublevandam: singulas cystides, quae deinde degenerant in saccos hydropicos, esse nimium evolutas vesiculas Graafianas, possum afferre virorum clarorum disquisitiones atque sententias.

Dr. Samson refert sectionem feminae, quae hydropi ovarii sinistri occubuerat. Cavitatem pelvis et abdominis impletam invenit permagno cystidum numero diversae magnitudinis, tenacem liquorem in se continentem; aliae earum tantae erant, ut liquoris viginti fere libras in se recipere potuissent; aliae erant capitis instar infantilis, aliae citri instar, aliae aequabant nucem juglandem. Quas quum diligenter inquireret, invenit, eas non nisi ovarii sinistri esse ovula ad tam prodigiosam magnitudinem extensa.

Cruveilhier in sectione utrumque ovarium seroso invenit repletum liquore, qui parvis, tenuibus lucidis ve-

siculis continebatur, quas dicit haud dubie ovula Graafiana fuisse habendas.

Diversitas contenti in hydrope ovarii celluloso est tanta, ut in uno eodemque ovario degenerato nonnunquam tot liquoris varietates inveniantur, quot adsint cellulae. Haec autem materies modo est lymphatica, modo cruenta, albuminosa, mellea, pultacea, sebacea, pinguedinosa, gelatinosa, calcarea, nunquam tamen revera aquosa. Inde etiam explicari potest, cur nonnunquam adhibita paracenthesi humores prorsus diversi generis, serum, sanguis fluidus atque spissus, liquores purulenti etc. emissi sint. Ridley narrat in sectione quadam ovarium sinistrum adeo tumefactum inventum fuisse, ut ponderis triginta septem libras haberet. In saccorum multitudinem erat divisum, mirifice inter se conjunctorum, quorum alii continebant liquorem lucidum, alii gelatinosum, alti flori lactis similem, alii etiam sebaceum.

Non raro inveniuntur singulae seu duae seu tres cellulae prae ceteris eo usque evolutac, ut dimidiam partem vel duos trientes vel tres quadrantes totius tumoris forment. Densior liquor majoris cellulae septo se obtrudit, quod inde contenditur, continueque pressum evanescit, denique prorsus disrumpitur. Quae apertura fit major, septum evanescit — jam duae cellulae unam formant, quae rursus tertiae cellulae septo se obtrudit. Sic sensim plures cellulae in unam majorem cellam mutari possunt, quae tunc loculosum, fere reticulatum adspectum praebet, nec raro cum vicina ejusdem magnitudinis per parvam aperturam communicat. Eodem modo, quo duae vicinae cellulae inter se conjunguntur, major etiam seu

minor cellula in abdomen protrudi totumque fluidum illuc effundere potest, ut, si cellula liquores effundens erat magna seu cum aliis communicabat, verus ascites inde nasci possit. Quod ubi fit, nequaquam est necesse, ut semper violentia externa, abdomen in regione ovarii aegroti tangens processerit, percussioneque cellulam proximam aperuerit. Saepenumero enim, ubi liquores in abdomen effusi sunt, violentia ista externa plane defuit: alias contra percussio vehementissima rupturam ovarii hydropici nullam effecit, quae tamen saepe facta est tussi leni seu sternutatione; unde concludendum, rupturam sacci hydropici facile efficiendam nonnisi a majore seu minore densitate parietum dependere posse.

Denique nonnunquam etiam observatum est, tubam Fallopii lateris aegroti cum ovario degenerato sic in unum coaluisse, ut apertura facta liquor effusus per tubam in uterum derivatus sit indeque per vaginam foram emissus. Quod ut fieri possit, illud tamen est necessarium, ut nonnisi pars tubae abdominalis ovario admoveatur, sensimque cum hoc coalescat, canalis autem tubae aperta permaneat. Si tunc cellula aliqua ovarii eo loco disrumpitur, quo tuba ovario adhaeret, quod eo facilius fieri potest, cum spatium tubae vacuum urgenti cellulae liquori minus resistere possit, quam alia adhuc integra cellula, sicuti in conceptionis actu vesicula Graafiana dissoluta per tubam uterum ingreditur, aquosa effluvia oriuntur vaginalia. Quae effluvia, quamvis tumor e multis constet cellulis tubaque cum una tantum connata sit, interdum tamen haud parvam tumoris minutionem perficiunt. Hoc vero genus

evacuationis ovarii hydropici novissimis temporibus hydrops ovarii profluens est nominatum.

Structuram autem diversarum hydropis ovarii specierum, nec minus densitatem liquoris variam contemplantibus, hydrops ovarii hydatidosus aptissimus non videbitur ad contenti sui in abdomen vel per tubam foras effusionem, maxime cum hydatides neque inter se neque cum sacco eas circumdante connatae sint, serieque mutationum, quas subeunt, non modo fluidum earum densius sed etiam velamentum multo crassius fiat et solidius. Neque observatum est, hydropem ovarii saccatum in profluentem esse commutatum; sed ex illis, quae supra commemorata sunt, intelligitur, hydropem ovarii cellulosum facillime in abdomen aut per vaginam foras nonnunquam vacuefieri posse. Observationes hac de re, quas auctores priorum et recentiorum temporum fecerunt, collectas invenimus in cl. Blasii commentatione de hydrope ovariorum profluente.

§. 7.

Ad ceteras autem species degenerationum ovarii, quae inter omnes quas commemoravi, minime sunt dignae, quae hydropes vocentur, referendae sunt eae, in quibus aut ovarium antrum commune conformat, in quo pseudoproductiones, pili, massae atheromatosae, cartilaginosae, vel osseae, dentes, adeoque foetus partes reperiuntur.

§. 8.

Pauca verba hisce adjiciam de tubae Fallopianae hydrope, qui haud raro cum hydrope ovariorum, cum

hydrometra seu degenerationibus uteri scirrhosis congregatur, aut, quod ex observationibus manifestatur recentioribus, solus praesens invenitur. Eadem autem de causa, qua hydrops uteri aut ovarii oritur, in tuba Fallopii interdum aqua colligitur, qua, si non multa est, dolores nullo modo excitantur, in majus autem volumen aucta, compressione, quam in partes vicinas exercet, saepius aegrotam vehementissime vexat. Praeterea per integumenta alvi tumor profundus animadvertitur, cujus naturam accuratius constituere nequimus, et tantummodo tumore ita aucto ut totum alvi amplectatur cavum, in exploratione abdominis fluctuatio liquoris in sacco pleno, extenso et profundo contento, sentitur. Plerumque tamen hydropem tubae ab ovario hydropico in vivis distinguere non poteris, sed mortua aegrota, genuina morbi sedes recte explorabitur. Memoratu dignissimam hydropis tubarii historiam Tulpius (1) nobiscum communicat; in dissectione enim cujusdam feminae, quae per novem annos tumore abdominis laborans vitam degerat luctuosissimam, tubam unamquamque novem fere libris aquae, pure et vesicis aquosis mixtae, impletam invenit.

Neque minus in Halleri disputationibus (2) duo exstant exempla, in quorum altero tuba et ovarium hydropicum, in altero praeterea uterus quoque affectus erat, ita ut hae partes omnes tumorem conformarent ingentem, qui cystidibus innumerabilibus, muco quodam aquoso repletis, compositus erat.

---

(1) Tulpius observat. lib. IV. obs. 45.

(2) Halleri disputat. pathol. Tom. IV. pag. 249.

Exemplum denique aliud hydropis tubarii Bonetius (1) memoriae tradidit, qui in dextra feminae cujusdam tuba duodecim aquae pondo invenit.

CAPUT III.

DESCRIPTIO ET DECURSUS MORBI.

§. 1.

Symptomatologia.

Initium morbi raro tam claris manifestatur symptomatibus, ut aegrotantes statum suum animadverterint; plerumque enim aucto ovarii tumoris volumine magna molestiarum vis oritur, quae naturam mali sedemque accurate indicant. Quamvis autem, quod postea demonstrabo, hydrops ovarii originem ex inflammatione hujus organi lenta ducat, medicum attentum symptomata obscura ipsa, quae illam ovarii phlogosin designant, non fugient. Hoc enim morbo laborantes feminae dextra aut sinistra regione inguinali dolorem sentiunt obtusum, prementem, qui quidem interdum pressione tantum externa percipitur aut augetur. Has ad molestias interdum dolores contendentes in mammis et sensus torpiditatis in lateris aegroti crure aggregantur. Serius ocius circumscriptus oritur,

---

(1) Boneti in sepul. anatom. lib. III. sect. 21. obs. 39.

abdominis tumor, initio magnitudine ovi gallinacei sive anserini, plerumque mobilis et minus sensibilis, subrotundus, interdum etiam iniquus, nodosus, qui in feminis macris in dorso positis, si crure adtrahuntur, per integumenta abdominalia detegi potest.

Praeterea ceterorum organorum functiones non alienantur; neque enim ciborum appetentia, neque digestio laborant, neque mutationes secretionum excretionumque urinae, sudoris, sanguinis menstrualis aliarumque, quod attinet ad qualitatem aut quantitatem, animadverti possunt.

Paulatim tumor augetur, cavum pelvis magis explet, pressione, quam in uterum exercet, ejus descensum efficit eumque ex axi pelvis dislocat, ut directio colli et orificii uteri mutetur et hoc in dextrum aut sinistrum latus collocetur. Aegrotae autem conqueruntur ob magnum pondus abdominis, in quo sensum percipiunt, quasi quid intus circumvolvatur, nonnunquam adeo infantis motum sentire putant, quod maxime tunc accidit, si plures sacci ovarii degenerati inter se communicant, ubi aquae fluctuatio et motus, ut conjicere licet, hunc sensum excitant. In vaginae fundo corpus subrotundum, durum, quod digito explorante moveri potest, semper autem positionem pristinam rursus occupat, observatur. Per integumenta abdominis magnus, iniquus, minus renitens tumor animadvertitur, qui e pelvi elevari alteriusque lateris, maxime sinistri esse videtur, saepius vero minus magisve cavum totum abdominis explet. Rarissime autem per integumenta abdominis aut in fundo vaginae fluctuatio percipitur.

Jam crescente tumore molestiae augentur, quae ex

parte desorganisatione progrediente et violenta ovariorum extensione, plerumque autem pressione tumoris immensi in organa vicina exercita efficiuntur. Dolores enim saepe redeuntes oriuntur in tumore, pungentes sive prementes, tractus in regione lumbali et dolores abdominis instar dolorum ad partum; aliae feminae de vomitu pertinaci aut colicis, aliae obstructionibus aut diarrhoea profusissima et evacuationibus alvi cruentis queruntur. Interdum ictericae sunt factae; multae praecipue gemunt ob molestias respirationis, oppressionem pectoris, maxime in situ horizontali, ob continuam torpiditatem et rigorem crurum, dysuriam et lassitudinem universalem; extremitates inferiores macescunt aut oedematosae fiunt. Tumor vero abdominis indies crescens usque ad scrobiculum cordis adscendit, non amplius moveri potest et totum abdominis cavum aequaliter explens informem abdomini tribuit figuram. Si morbus ad hunc usque gradum progressus est, alienationes sensibilitatis et omnino systematis nervorum accedunt; moestitia gravis et melancholia animum aegrotantis ob statum suum occupat et molestiae hystericae diversissimae variant. — Quem quidem descriptum decursum morbus non celeriter sed lentissime facit, ita ut tumore lente crescente, saepius multi, adeo quindecim aut viginti anni praetereant, antequam morbus acumen hoc nanciscatur. Rarissime enim observatum est, tumorem ovariorum brevi in magnum volumen crevisse et aegrotantem maturius interemisse.

Sub finem morbi febrilis oriri solet status cum levi, sicca tussi conjunctus, quae augetur in exacerbationibus febrilibus; diarrhoeae colliquativae accedunt et aegrota

in marasmum aut hydropem universalem mox necem afferentem incidit.

§. 2.
Diagnosis.

Cognitio hydropis ovarii sicuti aliorum hydropum in cavo abdominis saccatorum minime est facilis; maxime enim symptomata incerta, obscura et perturbata exstant, donec tumor tantum adeptus est volumen, ut multa proferat phaenomena, quae morbum potius detegunt quam indicant. Verum tamen et ad disciplinam hac in re amplificandam et praecipue methodum therapeuticam recte instituendam maximi est momenti, diagnosin quam accuratissimam constitui. Itaque omnino opus est, aegrotantem, ut hydrops ovarii praesens cognoscatur, non modo externe sed etiam per vaginam et per anum, stantem et lecto incubantem explorari; nam haud raro hac ratione ovarium hydropicum facilius quam abdomine contrectato detegitur. In fundo vaginae laterali, si pelvis minus altior est, tumor cognoscitur, qui pressione eodem tempore in abdomen exercita extenditur et abdomine percusso interdum fluctuationem edit. Cruveilhier sibi persuasum habet, percussionem, tumorem circumscriptum et situm uteri obliquum certissima diagnosis momenta hydropis ovarii esse. Obliquitas uteri revera, cum ovarium intumuit, semper animadverti potest, hoc quidem modo, ut tumor ovarii fundum uteri revera, cum ovarium intumuit, semper animadverti potest, hoc quidem modo, ut tumor ovarii fundum uteri in latus oppositum dislocet, quo fit, ut portio vaginalis in latere ovarii aegroti posita

occurrat. Auctores alii in hydrope ovarii cognoscendo magni esse momenti censent, tumorem a latere oriri, atque hoc hujus morbi proprium esse contendunt indicium, quod tamen haud facile potest investigari, praecipue apud puellas et feminas, quae nondum saepe peppererunt, quarum igitur abdominis integumenta stricta multoque adipe instructa sunt. Nam dum tumor crescit, latus alterum expletur fasce intestinorum tumore submotorum, ut abdomen omni ex parte aequalem habeat extensionm. At si saccus ovarii non nimius est, et abdominis integumenta laxa et languida sunt, sicuti apud feminas, quae saepe pepererunt, tumor aegrotae reclinatae tactu percipi potest, maxime cum illa situm saepius mutat, quia tum etiam tumor nunc dextro nunc sinistro lateri considit. Certissimum denique indicium praeter tumorem, qui plane et distincte tactu cognoscitur in abdomine, fluctuatio esset humoris, quem ovarium hydropicum continet. Fluctuatio vero distincte cognoscenda rarissime vel nunquam invenitur, semper, si adest, obscura ac difficilis est cognitu; quod spissitudo humoris, qui inest in ovario hydropico valde differt, isque raro prorsus aquosus sed plerumque ejusmodi est, ut undulationem non sinat, praeterea saccus saepissime in plures divisus est cellulas, parietes ejus crassiores, impletio ingens; denique manus medici investigantis duplici impedimento, tegumentis sacci et abdominis, sejuncta est ab humore, qui ovario inest.

Facillime saepissimeque hydrops ovarii cum ascitide confunditur, nec desunt exempla excellentissimos viros in hunc errorem esse inductos, qui eo difficilius vitari pot-

est, quod hydrops ovarii saepenumero totum abdomen aequaliter extendit atque sicuti ascites raro quidem sed haud nunquam oedemate extremitatum inferiorum conjunctus est. Discrimen inter utrumque morbum positum est in eo, quod ascites non raro est idiopathicus, cum saepissime oriatur ex organica viscerum affectione, quae jam diu valetudinem debilitavit, et cum peritonitide consociata esse soleat; hydrops ovarii contra semper fere est affectio localis, quae organis reliquis plane integris adesse potest seroque demum cum nascente totius corporis aegritudine se conjungit. In ascitide abdomen aequaliter est extensum, fluctuatio aperta, extremitatesque inferiores plerumque oedematosae, in hydrope autem ovarii tumor primum ab altero abdominis latere nascens per cavum illius tardissime diffunditur; initio manu moveri atque aegrota reclinata accurate circumscribi potest, ac fere iniquus atque nodosus est; fluctuatio semper difficillima est cognitu, saepe omnino deest, nunquam tam perspicua quam in ascitide, oedema extremitatum inferiorum raro tantum vel serius accedit. In exploranda vagina feminae ascitide laborantis collum uteri loco suo invenitur, hydrope ovarii autem remotum ex axi pelvis oblique situm est; praeterea in fundo vaginae tumor tensus et in pelvim demissus distincte animadverti potest. Medicamenta diuretica et diaphoretica, quae ascitidem ad tempus minuunt, nullam omnino ad hydropem ovarii habent vim. Denique etiam lenis abdominis percussio digito vel tabula eburnea facta, interdum rem declarat; in ascitide enim aqua regiones maxime declives occupat atque aegrota aliter collocata loco suo movetur, aeque sonus, qui

pulsando nascitur, languens erit majori vel minori extensione ac per mutationem situs aegrotae mutabitur, dum in hydrope ovarii sonus circumscripta in extensione semperque eodem abdominis loco languens audietur.

Saepe etiam difficillimum videtur, hydropem ovarii ab hydrometra distinguere, cum his morbis multa symptomata sint communia. Uterus enim hydropicus, cum morbus valde profectus est, haud raro sicuti tumor ovarii ad scrobiculum cordis surgit totumque abdominis cavum explet; cujus per tegumenta tumor circumscriptus durus sine fluctuatione perspicua animadvertitur; aegrotae magno pondere, quod vehementer deorsum premit, gravatum esse abdomen sicuti hydrope ovarii laborantes sentiunt; extremitates inferiores non sunt oedematosae ac medicamenta neque diuretica neque diaphoretica ad tumorem minuendum ullam habent vim; haud raro humor quoque sicuti in hydrope ovarii profluente ex vagina profluit, quod aegrotae magno est levamento.

Cum vero accuratius inquiramus, praesertim quomodo morbus sit ortus, tumorem hydrometrae non in regione inguinali ab uno latere sicuti hydropis ovarii, sed potius medio in abdomine super symphysin ossium pubis nasci et hinc per totum abdomen diffundi inveniemus, porro in hydrometra portionem vaginalem uteri medio in fundo vaginae esse collocatam, orificium esse clausum et fluctuationem aquae, quae in uteri cavo inest, sensu percipi posse. Loco fluxus menstrui, qui tum semper fere est oppressus, plerumque fluor albus adest, denique effluvia aquosa, quae occurrunt in hydrometra, inter dolores acerbissimos similes illis ad partum, haud parvis intervallis

interjectis, subito profusissime effluere et tumorem ut satis oculis percipi potest, diminuere solent.

Minus difficile cognitu est discrimen inter hydropem ovarii et graviditatem. In hydrope enim ovarii tumor minime sicuti in graviditate super symphysin pubis, sed a dextra aut sinistra regione inguinali oritur, iniquus, nodosus, mobilis est, lentissime crescit, modo celerius modo lentius, ut saepe multis annis demum ad summam maturitatem perveniat. Praeterea neque mammarum neque orificii uteri mutationes, quae graviditatis sunt propriae, apparent atque hic, morbo progrediente, ex axi pelvis removetur, menstruatio saepe manet, desunt foetus motus: denique serius ocius aegrota fit cachectica.

Longe difficillimum est, eo loco, quo disciplina medica nunc versatur, indicia diagnostica diversarum hydropis ovarii specierum constituere. Plerumque vix fieri potest, ut confirmetur, utrum hydrops ovarii sit saccatus an cellulosus an hydatidosus. Interdum fortasse fluctuatio aperte per abdominis integumenta animadvertenda, et forma tumoris aequalis, rotunda hydropem saccatum, fluctuatio plane deficiens et forma tumoris iniqua, nodosa, quae per vaginam et intestinum rectum exploratur, cellulosum vel hydatidosum indicet. Certior redditur harum specierum diagnosis, si paracenthesi facta vel alio modo hydatides aut humores diversae naturae et copiae foras provenerunt.

§. 3.
Aetiologia.

Secundum virorum doctissimorum Harlefs, Hüb-

ner, Jos. Ayre, Clarus et aliorum opinionem hydrops ovarii plerumque oritur ex inflammatione lenta, in ovarii substantia incipiente, inde in velamenta ovarium circumdantia progrediente. Quod verum esse apparet ex causis, quae saepissime morbum illum gignunt; qua de re postea sermo erit. Inter omnes enim constat, hunc morbum frequentissime oriri apud feminas fervidioris indolis post nimiam ad genitalia sanguinis congestionem, coitu saepissime repetito, seu menstruis oppressis, seu ovario inflammationis vicinorum organorum, uteri, intestini recti et peritonaei, participe effectam; maxima ex parte symptomata hydropis ovarii nascentis eadem sunt, quae in acuta aut lenta hujus organi inflammatione occurrunt, ut supra descripsi. Qua lenta ovarii inflammatione neglecta aut non plane remota, immutationes organicae diversi nascuntur generis, concretiones, puris collectiones, exsudationes (unde hydrops ovarii et degenerationes hydatidosae pendent) indurationes, degenerationes steatomatosae et cartilaginosae et aliae. Ex quo intelligitur plurimas, quae in ovario reperiuntur, degenerationes natas esse ex inflammatione hujus organi priori. Minime autem omnes ovarii immutationes inflammatione genitas esse contendi potest: multae potius ex haemorrhoidali et varicosa conditione plexus venarum in regione ligamentorum uteri latorum et ovariorum, quae nuper a Carus nonnullis hujus morbi descriptionibus explicata et illustrata est, nascuntur. Monro denique commemorat, complures auctores propter humorem gelatinosum, qui in ovario hydropico inveniatur, et lymphae ad coagulandum proclivi similis sit, putare, nonnulla vasa

lymphatica esse dirupta, quae interdum prima fuerit causa hydropis ovarii orti.

Causae remotae et occasionales. Ex iis, quae modo sunt dicta, elucet, omnia, quae congestiones sanguinis ad genitalia et inflammationem eorum efficere possint, etiam causas originis hydropis ovarii fieri posse. Hic morbus saepissime nascitur tempore, quo menstruorum fluxus naturae convenienter cessare solet et quidem apud mulieres, quae magna cum libidine et incontinentia veneri indulserunt, apud puellas publicas, denique apud eas, quae libidinosa imaginatione agitatae coeundi appetitui satisfacere non poterant; itaque tam saepe apud vetulas innuptas et apud monachas. Backer se observasse narrat, feminas, quae per longum tempus morbo uteri, fluore albo et crebris haemorrhagiis laboraverint, quae multas molestias post menstruorum cessationem pertulerint aut quarum menses plerumque irregulares fuerint aut saepe compressi sint, denique eas, quae sero nupserint aut omnino steriles manserint, maxime in hunc morbum inclinasse. Attamen feminae tenerae quoque aetatis, vel etiam virgines nondum nubiles hoc morbo affectae sunt, atque G. W. Huebner teneras virgines molestiis spasmodicis et hystericis inclinatas saepissime ophoritidi et hydropi ex ea orienti obnoxias esse contendit. Creberrime hydrops ovarii nascitur, cum hoc organon morbo partium finitimarum inficitur; qua ex causa peritonitis puerperarum, in qua omnia fere vasa uteri, tubae Fallopianae et ovariorum una laborant, aeque partus difficiles, obstetricium rude, fluxus lochiorum irregularis et abortus frequentes tam saepe fiunt causae hydropis ovarii

orientis. Vim vero haud minorem exercent in ovarium menstruorum perturbationes, praecipue repentina eorum oppressio. Praeterea multae aliae quoque vires nocentes, ut hydrops ovarii nascatur, causae esse possunt occasionales.

§. 4.
Dissectio cadaverum.

Observationum hydropis ovarii, quae a viris praeclarissimis Bonet, Ledrun, Morgagni et al. nobis relatae sunt, tanta est multitudo et diversitas, ut omnes fere dissectionum descriptiones valde inter se discrepent. Quod facile est intellectu, si animadvertitur ad diversam hydropis ovarii naturam, quam prae se fert. Invenitur enim loco ovarii nunc magna, spissa et paene glandulosa massa incredibilis ponderis; nunc organon degeneratum tubercula, quae interdum suppurationem subierunt, continet, nunc parvas vomicas includit, nunc tota massa ex unico tantum magno constat sacco, qui neque divisus neque tuberculosus, magnam aquae copiam, interdum octoginta vel centum libras continet; nunc denique saccus septis plus minusve completis divisus est multas in cellulas, in quibus humores diversae copiae atque consistentiae insunt. Septula vero sacci ipsa modo tenuia, pellucida serosaeque membranae simillima, modo fibrosa atque crassissima pro sacci magnitudine atque tempore, ex quo morbus exstitit. Hic illic flexuosae, compressae et in sacci integumentis decurrentes animadverti possunt venae, quae tumoris flexuris respondent. Superficies tumoris interna modo est laevis quasi serosa, modo villosa

est subrubicunda, membranae pituitosae simillima, modo asperrima et gibbosa propter parvos tumores aut membranas informes.

Interdum ovarium hydropicum adhaeret peritonaeo, parti cuidam tractus intestinalis, aut postico vesicae urinariae parieti; quae partes omnes haud raro ad tegumenta sacci formanda conferunt. Materies, quae in tumore inest, raro est mere aquosa et serosa, sed plerumque gelatinosa, glutinosa, purulenta. Merklein eam urinae similem invenit, Morand floris lactis, Ridley sebi; modo est limosa, colore coffeae vel faecibus vini; modo saccus incredibili hydatidum copia impletus; interdum in materie gelatinosa seu pinguedinosa globuli pilorum, partes cartilagineae et osseae etc. inveniuntur.

Tumor ovarii semper majorem minoremve abdominis partem, interdum etiam totum ejus cavum occupat, ab altero latere vergit usque ad diaphragma, hepar et ventriculum; intestina tenuia reprimit et comprimit; ab altero latere in pelvim parvam descendit, quam arctissime obsidit. Cum tales ovarii degenerationes adsunt, rarissime cetera abdomiuis viscera manserunt integra et sana. Mutationes aliae, quae in dissectionibus cadaverum inveniri solent, sunt adhaesiones, inflammationes seu indurationes hepatis, mesenterii, omenti, deformationes colli corporisque uteri etc.

§. 5.

Prognosis.

Hydrops ovarii longum per tempus minimam vim afferre solet reliqui corporis valetudini ac saepe aegro-

tam multos annos haud admodum mala conditione gaudere patitur. Menstruatio permanet, immo feminae hoc morbo laborantes partum edere possunt, nisi utrumque ovarium aegrotat, quod rarissime tantum reperitur. Itard feminam hydrope ovarii laborantem vidit, quae bis jam mater erat facta. Merklein puellam sedecim annorum huic morbo obnoxiam nupsisse tresque liberos sine ulla tumoris mutatione peperisse refert. Morbum vero graviditate intercurrente non tolli, sed potius augeri facile est intellectu.

Postremo vero, si morbus mortem affert, id minus fit valetudine depravata, neque succis vitalibus immutatis, quam magis fortuitis malis, quae procreantur extensione tumoris ingentis, vicinas partes comprimentis, aut sacco dirupto, liquore in abdomen infuso et peritonitide inde orta. Omnino autem contendi potest, hydropem ovarii serius ocius mortem afferre necessario, cum sit ex iis immutationibus organicis, quam vis vegetativa experitur, quae non nisi valetudine totius corporis corrupta existere possunt.

Memoria digna sunt exempla singula, ubi res fortuita ut malum tolleretur effecit, vel ubi natura ipsa mirabili modo aegrotis bonam valetudinem reddidit. Observatum est, ut exemplum afferam, saccum ovarii violentia externa, lapsu, percussione ventris, diruptum esse, aquam in alvum effluxisse et resorptam esse, sanitatem deinde restitutam. Hujusmodi exemplum Lyman Spalding proponit; atque Schwenke narrat, aegrotam aliquam, cum vas cerevisiae plenum magni ponderis tolleret, subito vehementissimos dolores in abdomine sensisse,

quibus tres dies perpetuo vexata sit; quo tempore praeterito dolores sensim desierint, tumorem vero hydropis ovarii abiisse ejusque vestigium nunquam postea esse animadversum.

Addendum mihi videtur exemplum maxime memorabile, quod Percival de femina triginta tres annos nata proponit, quae hydrope ovarii sinistri cum ascitide et anasarca conjuncto laborabat. Quae cum aliquando mane surgeret, subito nausea, fastidio et paulo post vehementi vomitu correpta est, quo quindecim libras aquae edidit. Femina postquam per quinque vel sex dies sequentes iterato vomitu cruciata est ac 36 libras aquae emisit, et ascites et anasarca et hydrops ovarii prorsus evanuerunt, ac paulo post femina optimam nacta est valetudinem.

Neque vero semper, si tumor fugit, aegrota convalescit; saepe ille redit aut aliud organon, quod multum confert ad vitam sustentandam, morbo afficitur. Mitschell tumorem feminae sexaginta annos natae sua sponte vidit evanescere, cujus autem loco gravis cerebri morbus cum deliriis conjunctus exortus est, cui postea tumor iterum accessit mortemque feminae attulit.

§. 6.
Ratio medendi.

Rarissima sunt exempla sanationis hydropis ovarii, ac internis remediis effectae nullum fere exstat; cum enim hydrope ovarii hoc ipsum degeneraverit et immutatum sit, omnia, quae hydropem leniunt, remedia, diaphoretica et diuretica, omnino hunc in morbum nihil valent. Quapropter Hunterus cum re diligenter inquisita felici suc-

cessu nunquam gavisus esset, contendit hydropem ovarii sanari non posse, feminasque eas diutissime vivere, quae paucissimis remediis uterentur. Plerumque etiam medico revera nihil aliud restabit, nisi ut molestias morbo procreatas quoquo modo leniat vitamque, quam diutissime prolonget. Si tumor nascitur et symptomata certa inflammationis ovarii adsunt, impediri fortasse possit, quominus morbus progrediatur, modico antiphlogisticorum usu, hirudinibus, calomelanos cum opio et quod Clarus suadet, floribus zinci aut castoreo, praeterea clysmatis emollientibus, pulvillis siccis herbis aromaticis refertis, unguento mercuriali etc. Aptissima certe sanguinis emissio tunc erit, ubi morbus ovariorum ex menstruis oppressis ortus est. Praeterea remedia, resorptionem augentia, ut mercurialia, digitalis, jodium, balnea et alia maxime praestant. Delpech prae ceteris hortatur, ne quis violenter agat, sed potius medicaminibus utatur emulcentibus, quibus maxime incrementum tumoris retardetur. Bis, cum ovarium sanguinis congestione praegressa tenuisset, tumorum menstruis restitutis sensim, dissolvit. — Quum vero morbus initio raro tantum magnas efficiat molestias atque medicus tum demum in auxilium vocetur, cum malum longe progressum est, plerumque omnia medicamenta nihil valebant. — Tamen sunt auctores, qui se jactent, adhibitis internis ac saepius externis medicamentis morbum plane depulisse. J. Bernard se morbum remediis antiphlogisticis et setaceo per integumenta regionis lumbalis dextrae transmisso sanasse narrat, et E. Seymour infusum pyrolae umbellatae multum efficere contendit. Elliotson non frustra adhibuit jodium, et unguentum

hydrogradatum inungui jussit. Formey quoque jodio est usus ad duas feminas curandas, quarum unam sanavit, alteram non sanavit. Loeffler usum emeticorum commendat, quae vasorum lymphaticorum vim resorbendi augeant, provocatque ad Percival, qui ut supra commemoratum est, magna aquae copia vomitu emissa hydropem ovarii evanescentem viderit.

Si in hydrope ovarii omnino medicamenta quid valent, maximi momenti certe sunt medicamenta externa, quorum vis haud exigua recentiori tempore usu est cognita. Celeberrima illa obstetrix Parisiensis, Boivin, saepius degenerationes progredientes ovariorum usu unguenti mercurialis inhibuisse et interdum etiam sanasse dicitur. Eadem simili successu adhibuit kali hydrojodinicum. Tunc Jahn in femina triginta annorum curanda, cujus ambo ovaria hydropica totum fere abdominis cavum occupabant, usus est unguento neapolitano ℥jj cum kali hydrojodinico ʒjjj, cujus unguenti ter quotidie cochlear minus inungui jussit. Quamquam jam septem annos hoc morbo femina laboraverat, menstruorum fluxus aberat, aegrotaque saepe vomitu vexata alvoque adstricta erat, quamquam macuerat et febri hectica correpta erat: tamen praeter omnium exspectationem illud medicamentum tantum valuit, ut tumores solverentur, et tribus mensibus praeterlapsis alterius nihil, alterius parvum tantum rudimentum ex lamellis osseis constans restaret. Interdum etiam tumores ovariorum balneis salitis soluti esse feruntur; qua curandi methodo medici Gallici utuntur cum degeneratio hydatidosa adest, quia hydatides animalia esse ducunt, quae aqua salsa interfici possint. Etiam

Laennec se tumorem ovarii dextri, qui post graviditatem ortus et ut ille conjicit, acephalocystidibus impletus erat, balneis istis (adhibitis quinis libris salis culinaris in singula balnea), sanasse confirmat.

Interdum tumores ovariorum vesicantibus soluti esse dicuntur, quae integumentis abdominis imponebantur. Aqua etiam ab alto loco in abdomen demissa morbus curatus fertur, neque negligendum videtur, quod H. Searle de utilitate pressionis externae in hydrope ovarii expertus est. Femina enim quaedam hydrope ovarii laborans, sedecim aquae libris paracentesi emissis, integrum annum instrumento a Searle propter hunc morbum invento usa est, quo quidem tempore malum non rediit.

At cum omnia remedia nihil valent, aegrotae autem doloribus acerbissimis vexatae sunt, medici ut eos levent, ad paracentesis usum confugiunt. Concedendum tamen est, hanc operationem non tam magnis difficultatibus atque periculis esse subjectam, quam potius saepissime prospero carere successu. Ovarium enim degeneratum saepius ex magna cellularum copia constructum est, quae septis completis distinguuntur, ut ad contentum cavum emittendum tot punctiones fiant necesse sit, quot adsunt cellulae. Praeterea humor, qui inest, saepenumero talis est, qui per canalem clavi effluere nequeat. Deinde etiam timendum, ne paracentesi adhibita arteria epigastrica vel unus ex ejus ramis, vel majus ovarii vas laedatur, quo mortifera sanguinis profusio nasci possit, aut ne punctio in degenerato ovario inflammationem acutissimam atque gangraenam abducat, aut ne aegrota confecta operationi succumbat. Nihilominus punctio, si ovarii hydropici ex-

tensio ad summum venit, remedium est unicum, quo mors aegrótae proximae minitans retardari possit. Quod cum est, etiam Elliotson eam probat, cum alioquin plane rejiciat, quippe quae aquae productionem et gignat et augeat. Hedenus contra ne nimis paracentesis procrastinetur suadet, quod, si mature fiat, sacculi facilius minuantur et oblinantur, unde aegrota nonnunquam convalescat.

Sine dubio complures recentioris temporis observationes paracentesin repetitam hydropem ovarii interdum penitus sanasse docuerant. Hujusmodi exempla nobiscum communicant W. Newnham, Lathrop, Smith, nec non Krueger paracentesi facta, aëreque deinde in saccum inflato aegrotae sanitatem restituit. Burns tumore insecto et fistula diutius aperta manente aegrotas nonnullas narrat sanatas esse, attamen exempla adjicit, ubi operatio mortem paravit. Hauston feminae cuidam punctionem fecit et, cum spissa et gelatinosa materies non efflueret, vulnere ad trium pollicum extensionem dilatato, ovarium vacuefecit, vulnus deinde alligavit eoque bene obligato medicamentis roborantibus feminae sanitatem restituit.

Cautelae in paracentesi observandae eo spectant, ut in ascitide, ne aqua subito effluat, sed ut effluvium interdum inhibeatur, ne aegrota affectionibus spasticis, quae saepissime celerius aquae effluvium sequi solent, corripiatur. Si humor propter spissitudinem haud satis effluit, Mende suadet, ut vulnus punctione factum parvulum cultro fiat majus; ad augendam vero post operationem musculorum abdominis contractionem multum di-

cit conferre, si antea fascia lata applicetur, quae pro alvi evacuatione arctius adstringatur.

Alii per vaginam quoque paracenthesis ovarii faciendae periculum fecerunt; nec infitiandum, hunc locum interdum aptissimum esse, praesertim cum tumor parvus et depressus est. Sed respiciendum videtur, quod Loeffler et Joerg dicunt, manu perita et exercitata opus esse, ne uterus, vesica urinaria, et intestina laedantur. Thiel se acu triquetra vacuefecisse narrat hydropem ovarii, cujus fluctuationem per vaginam distincte senserit; emissis aquae unciis triginta menstrua restituta esse, aegrotamque convaluisse. Alias etiam per vaginam fecit punctionem feminae 43 annorum et die sequenti per anum, aegrotamque sanavit.

Ut impediretur, ne paracentesi facta aqua iterum in ovario colligeretur, periculum saepe est factum, injectis liquoribus acribus, quibus in hydrocele uti solent, efficiendi ut sacci parietes conglutinarentur et concrescerent, et quamvis pleraque horum periculorum haud prospere evenirent, immo interdum aperte nocerent, nonnulla tamen bene successerunt. Loeffler hunc in usum commendat injectiones liquorum adstringentium et exsiccantium, decoctum corticis peruviani alumine mixtum, et tincturam martis; ac prosperum hujus curandi rationis successum se vidisse confirmat. Holscher in hydrope ovarii sinistri, qui magnitudine sua, quominus aegrota alvum dejiceret urinamque emitteret impediebat, punctionem fecit et aqua emissa in saccum vini Portugalensis injecit lagenas duas, vinumque deinde rursus removit. Quo facto inflammatio adhaesiva exorta est, qua sacci parietes concreverunt aegrotaque prorsus sanata est.

Extirpatio hydrovariorum denique silentio non transeunda mihi videtnr, quippe quam, cum morbum radicitus tollat, a L'Aumonier Rotomagense primum ex artis legibus factam a plnrimis recentissimis iisque peritissimis chirurgis non solum defensam verum etiam a John Lizars, Dav. Rogers, Paletta, Nath. Smith, Galenzowsky, Ritter et Mac Dowel artificiose et prospere perfectam scimus. Minime autem hujus loci est, quomodo operatio optime sit instituenda, quae cautelae in ea adhibendae, quae pericula respicienda, et quomodo aegrotae operatione facta sint curandae, latius describere.

VITAE CURRICULUM.

Jacobus Jasperus Mac Caldin Coleraine oppido Hiberniae mense Aprili anni MDCCCXI natus sum patre Andrea matre Anna e gente Graham, quibus adhuc viventibus gaudeo. Confessioni evangelicae addictus sum.

Litterarum initiis domi imbutus atque tum medicinae, chirurgiae, atque pharmaciae elementis edoctus a viro Exp. Gaston Rogan Chirurgo Strabanensi per quinque annos, anno MDCCCXXVIII Collegium med. chirurg., quod Edinburgae floret, petii atque per tres annos ibidem versatus hasce scholas frequentavi apud vir. Ill. Knox anatomiam et physiol. ter., apud vir. Ill. Hope chemiam, apud vir. Ill. Duncan mat. medicam, apud vir. Ill. Allison instituta medica, apud vir. Ill. Hamilton artem obstetriciam theoreticam atque practicam, apud vir. Ill. Robertson, ophthalm., apud vir. Ill. Home Patholog. et Therap. spec., apud vir Ill. Syme chirurg. Clinicis medicis et chirurgicis in nosocomio Edinensi apud Duncan, Home, Allison, Graham et Syme adfui. Examine deinde rite absoluto

honores atque privilegia socii colleg. chir. adeptus sum. Quo facto Londini chirurgi practici munere annum unum functus sum, anno MDCCCXXXII. Lusitaniam petii, ibidem duos annos chirurgi navalis potentiss. Reginae D. Maria II. munere fungebar. Anno MDCCCXXXIV Parisios petens his praelectionibus adfui, botanicen apud Richard, clinicum med. apud Chomel, clinic. chirurg. apud Roux et Velpeau, physicem apud Pelletan, clinic. syphil. apud Ricord, artem obstet. apud Halmagraud, operationes apud Verpillat. morbos cutis apud Biett et anat. pract. apud Maisonneuve.

Jam celeberrimam hanc litterarum sedem adii, atque a rectore magnifico Busch civibus academicis adscriptus atque apud virum spectabilissimum Müller J. H. Decanum nomen professus has scholas per semestre frequentavi. Apud vir. Ill. Müller anatom. practic., apud vir. Ill. Rust clinic. chirurg., apud vir. Ill. Jüngken ophthalmiatricum.

Quibus omnibus viris summas gratias ago.

Tentamine examineque rigoroso rite absolutis, spero fore, ut dissertatione thesibusque rite defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Paracentesis abdominis non magni momenti est habenda.
2. Typus intermittens non est.
3. Puris metastases nego.
4. Quo debilior, frequentior atque mollior pulsus in pneumonia est, eo majus est periculum.